



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

VI. Vtrum voluntas instituentis, ac executio perficientis sacramentum,
intrinsecè ipsum constituent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

tionem absoluta propria huius vocis, homo, tametsi abscindatur ipsi quintus digitus, aut innascatur sextus, aut aliqua pars corporis sit dislocata; ita etiam in sacramento baptismi, verbi gratia, siue dicatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; siue Patris, Filij, Spiritus Sancti; siue Filij, & Patris, & Spiritus Sancti; siue Patris ingeniti, & Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti; retinetur semper valor sacramenti, quia semper retinetur absolute eadem expressio Trinitatis.

Art. 4. Breuior alia, & clarior regula æquivalens doctrinæ præcedenti hæc est; vt sola illa, & qualibet additione, deductione, transpositione, seu alteratione sacramentum reddatur nullum, per quam auferatur, vel ex verbis naturalis significatio, quatenus affinis, & assimilis significationi sacramentali; vel ex rebus analogia cum effectu sacramenti, vel symbolica eiusdem representatio. Cum enim talia determinatè verba, & res potius, quam alia, & alia electa fuerint pro vnoquoque sacramento à Christo Domino propter eiusmodi affinitatem, & analogiam, vt dicitur quæst. i. dum ea non corrumpuntur, sed retinentur, quantum sat est pro communi hominum capto, & directione ad concipiendum effectum sacramenti; adimpletur intentio Christi, & consequenter subsistit valor sacramenti, qualiscunque demum accadat de reliquo immutatio, mutilatio, additio, transpositio, aut substitutio. Neque igitur omnis, neque nulla variatio materiæ, & formæ, quæ pro vnoquoque sacramento præscribuntur, nullitatem eius inducit, sed qualis explicata est. Exempla doctrinæ prosequuntur fusè in præsentis Cardinalis de Lugo, & Tannerus, & à nobis producantur opportune circa singula sacramenta in particulari.

Ad 1. Contingit mutationem vocis, quæ est exigua entitatiuè, esse permagnam formaliter in ratione signi; idque potissimum habet locum in syllabis initialibus, vt aduertit D. Thomas; per quas videlicet dirigitur, ac determinatur intellectus magis, quam per finales. Quare in duplici illo exemplo inducitur nullitas sacramenti, non propter quantitatem, sed propter qualitatem mutationis variantis; scilicet significationem naturalem congruentem significationi sacramentali, ac supernaturali: Vnde potest esse mutatio alia, aut permutatio longè maior entitatiuè præsertim in vltimis litteris vocis multisyllabæ; quæ tamen nihil noceat valori sacramenti propter contrariam significationis retentionem.

Ad 2. Esto congelatio, & liquiditas sint accidentia respectu aquæ secundum se physicè considerata; pertinent tamen ad essentiam eiusdem, quatenus est symbolum formæ supernaturalis mundantis animam à peccatis & quatenus subiicitur verbis constituenti-formam baptismi, & significantibus ablutionem, ac emundationem. Hanc enim rationem symboli, & subiicitilitatis constituit essentialiter liquiditas, & destruit congelatio; siquidem hac perseverante, aqua est inepta ad lauandum. Huiusmodi autem mutationem pertinentem formaliter ad rationem sacramenti non inducit qualibet mutatio physicè substantialis, aut accidentalis physicè maior, ideoque nec nullitatem inducit sacramenti.

Ad 3. Qui promittit sub conditione, quæ non consistit in indiuisibili, non liberatur à promissione, tametsi pars eius aliqua non ponatur dummodo ad substantiam conditionis, quatenus intentæ à promissore, illa non pertineat, sed eius essentia supersit nihilominus absolute. Apparet autem aliquas eiusmodi partes reperiri in materiis, & formis sacramentorum.

Ad 4. Consultus eo in loco Pontifex; an valeret baptismus collatus sub hac forma: in nomine Patriæ

& Filia, & Spiritu Sancta? responderet valere si minister ea vsus fuit ob ignorantiam Romanæ loquutionis, non introducens errorem, aut hæresim. Quia ipsa responsione clare demonstratur, aliquam mutationem formæ esse compossibilem cum valore sacramenti, & separabilem ab intentione introducendi errorem, aut hæresim annullatiua sacramenti. Quare introductio erroris, aut hæresis ibi intelligitur, non qualiscunque valde remota, & purè materialis, sed propria ministri, quatenus talis; scilicet nolentis significare, & facere, & volentis alios suo exemplo inducere, vt non significant, ac faciant, quod significat, & facit Ecclesia. Quæ voluntas inducit procudubio nullitatem sacramenti, vt dicitur q. 13. & notatur in glossa marginali illius capituli *retulerunt*.

Q V Æ S T I O VI.

Virum voluntas instituentis, & intentio, ac exequutio perficientis Sacramentum, intrinsecè ipsum constituunt?

Videtur non constituere. 1. Quia nullus effectus intrinsecè constituitur per intentionem ipsum faciendi, aut per actionem qua fit, aut per voluntatem, qua datur possibilitas, vt fiat; nulla siquidem intentio potest velle efficere se ipsam; nulla actio se ipsam efficere; nulla voluntas dare possibilitatem, vt ipsa fiat. Intentio autem requisita in ministro est intentio efficiendi sacramentum; actio ab eodem exercita illud efficit; & voluntas instituentis dat possibilitatem, vt fiat. Ergo ea intentio, aut actio, aut voluntas non possunt intrinsecè constituere sacramentum.

2. Contingit intentionem perficiendi sacramentum esse peccaminosam, quia perficitur malo fine, vel in circumstantiis, in quibus non licet illud perficere, vt cum celebratur sacrum ab existente in peccato lethali. Sacramentum autem nequit intrinsecè constitui per peccatum; quia est opus Dei, est supernaturale, & causatiuum gratiæ, est honestè desiderabile à suscipiente, & pro quo gratias agere Deo debeat; quorum nihil cadere potest in peccatum, nec in aliquid includens peccatum, tanquam partem intrinsecè constitutiui sui. Accedit Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 10. dicens: *Non est aqua profana, & adultera super quam nomen Dei innocatur etiam si a profanis adulteris innocetur*. Et iterum: *Baptismus Christi verbis euangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamuis illi sint impudici, & immundi, quia ipsa eius sanctitas pollui non potest*. Pollueretur autem si peccatum in eius essentia includeretur. Ergo saltem intentio ministri non constituit intrinsecè sacramentum.

3. Collectio effectuum creatorum, per quos innotescit, redditurque credibilis per fidem voluntas Dei instituens sacramenta; connectitur essentialiter cum eadem voluntate, quandoquidem fides, de existentia huius voluntatis, suborta, ex consideratione talium effectuum, est essentialiter infallibilis. Ergo talis voluntas non requiritur ratione sui immediatè ad existentiam sacramenti, sed mediatè ratione talium effectuum essentialiter illam præsupponentium. Quod autem requiritur ad alterum tantum mediatè, & ratione alterius, non pertinet ad intrinsecam eius constitutionem immediatè per se ipsum. Ergo voluntas Dei instituens sacramenta, non constituit ea intrinsecè.

4. Actio exterior, qua perficitur sacramentum, est essentia

essentialiter supernaturalis, vtpote inductiua effectus essentialiter supernaturalis, & procedentia Deo, vt auctore supernaturali, & ab eius ministro, quatenus eleuato per ipsum, & ab vtroque vt intendente finem supernaturalem, ac proinde præsупponit essentialiter tam ex parte Dei, quam ex parte Ministri voluntatem, ac intentionem requisitas, vt perficiatur sacramentum. Ergo ea actio exterior se sola immediate, ac formaliter differt intrinsecè ab omni actione non perfectiua sacramenti. Ergo eadem sola coniunctim cum materia, & forma sacramenti, nullo alio superaddito constituet totum quoddam essentialiter distinctum ab omni eo, quod sacramentum non est. Ergo nec Dei voluntas, nec intentio Ministri pertinent immediate, ac intrinsecè ad constitutionem sacramenti, eiusdemque distinctiuium; sed se habent respectu ipsius tantum præsупpositiuè, & extrinsecè.

5. Si voluntas instituentis, & intentio perficientis dicantur intrinsecè constituere sacramentum, quia hoc non subsistit alterutra deficiente; tamen si omnia, & quælibet alia existant: eadem ratione dicendum erit cætera omnia similiter necessaria, vt sacramentum sit validum, ad eius constitutionem intrinsecè pertinere. Vnde rursus consequens erit sacramentum ordinis intrinsecè constitui per duplex sacramentum baptismi alterum ab ordinante, alterum ab ordinato susceptum; immò quoduis sacramentum ordinis similiter constitui per totam seriem, & collectionem sacramentorum ordinis, quæ ab vltimo ordinante hunc ordinantem, & sic de cæteris vsque ad Christum instituentem, suscepta sunt, cum duplici insuper baptismo pro vnoquoque ordine; atque ideo vnum quodque sacramentum ordinis hoc tempore susceptum per suam essentiam esset acerbius ex multis millibus sacramentorum confurgens. Sequela ex apprehensione terminorum apparet absurda; & tamen infertur manifestè, quia vltimum sacramentum non potest esse validum, quin cætera omnia sacramenta, quæ commemorata sunt, valida fuerint, & cum validitate præcesserint; tamen si cætera omnia ab ipsis distincta ponantur à parte rei. Inualidum namque est sacramentum ordinis collatum non baptizato, vel à non baptizato, vel à non ordinato valide quidquid sit de reliquo.

6. Intentionem Ministri non pertinere ad intrinsecam constitutionem sacramenti certa, ac indubitata sententia est apud omnes anteriores Theologos, vt testantur addito suffragio Suarez disput. 42. sect. 2. & Vasquez disput. 129. cap. 3. Quæ tanta omnium auctorum vnanimis in partem consensio videtur absque temeritate deferri. non posse, circa eam maximè quæstionem, in qua, quia pro vtroque parte ad sunt rationes valde apparentes, pro neutra possunt magni ponderis æstimari, atque vniuersim in re litteraria, & sensus, ac in aliis rerum generibus, minus audentis solet esse melior fortuna.

Art. 1. Responderetur. Id, quo non posito, & positis omnibus aliis requisitis ad existentiam alicuius concreti, concretum nondum existit, & quo posito simul cum aliis requisitis, eo ipso existit concretum. Id inquam, pertinet formaliter ad constitutionem intrinsecam concreti. Quod enim eo modo est necessarium, vt subsistat concretum, requiritur vtique ad illud immediate ratione sui, & tanquam cõcurrents ad eius constitutionem in genere causæ formalis. Causa namque efficiens, & finalis, & cõditio sine qua non, solum requiruntur, ad existentiam alicuius, ratione effectus pendentis ab ipsis, atque ab eisdem formaliter distincti; quo proinde posito, etiamsi per possibile, vel impossibile ipsæ non existant, aut intelligantur non existere, eo ipso intelligitur, & est existens

ea res, ad cuius existentiam absolute requiruntur. Apparet rursus hoc ipsum clarissime, quia vnumquodque necesse est existere existentibus omnibus prædicatis, & partibus ipsum intrinsecè constituentibus, quidquid sit de reliquo. Nihil enim distinguatur adæquatè, vel inadæquatè potest ab iis omnibus simul sumptis, per quæ ipsum adæquatè constituitur. Pater autem ea inter se distinguere, quorum altero existente fieri potest, vt alterum non existat. Si quid igitur ita comparabitur cum aliquo concreto, vt eo posito simul cum quibusdam aliis ponatur eo ipso concretum; idemque non ponatur eodem non posito; tamen cætera omnia, & quælibet ponantur, siue per possibile, siue per impossibile; id proculdubio pertinebit ad constitutionem intrinsecam talis concreti; eritque ab eodem adæquatè sumpto realiter indistinctum, vel certè non nisi inadæquatè distinctum, tanquam contentum à continente formaliter, & tanquam pars à suo toto. Iam verò institutio diuina, intentio, & actio executiua exterior Ministri, ita inuicem, & cum cæteris ad existentiam sacramenti requisitis comparantur, vt quælibet ex illis possit existere absque aliis duabus, nec non absque materia, & forma, & si quæ sunt alia huiusmodi; atque è conuerso materia, & forma possint existere absque illis tribus, siue seorsim, siue simul existentibus; & tamen sacramentum deficiat, nec existere validum possit, quolibet eorum seorsim deficiente, tamen si adsint cætera omnia.

Art. 2. Constat in primis de separabilitate mutua illorum trium, tam inter se, quam respectu materiæ, & formæ. Quia hæc, cum sint entitates in se naturales, non connectuntur intrinsecè cum diuina sacramenti institutione, quæ est supernaturalis; nec magis connectuntur determinatè cum intentione, & actione executiua propria Ministri; cum ex vi alterius intentionis, & actionis executiue, æquè bene existere possint. Actio exterior productiua, seu applicatiua materiæ, & formæ, non est quidem separabilis ab illis mutuo; est tamen separabilis ab institutione, & ab ea intentione, quæ specialiter requiritur in Ministro pro valore sacramenti. Ab intentione quidem; quia actio exterior non diuersificatur ex diuersitate finium intentionum ab agente, si terminus productus est idem. Ab institutione verò, quia hæc nihil influit saltem immediate ad prolationem verborum, aut applicationem materiæ; sed per accidens se habet respectu vtriusque secundum se præcisè consideratæ; vtpote supponens ex parte agentis proximi virtutem actionem adæquatam ad vtramque, cum potestate eadem dicendi, & applicandi, siue adsit, siue non, institutio sacramenti. Eadem etiam est potestas in Ministro ad intendendum non existente institutione sacramenti, quidquid intendit eadem existente. Idem enim intendi potest in vtroque euentu saltem præeunte falsa cognitione. E conuerso institutio sacramenti est itidem separabilis ab intentione, & actione executiua ministri; necnon hæc intentio ab hac actione, quia minister, præsupposita institutione, est adhuc indifferens, vt intendat, vel non intendat perficere sacramentum, & postquam intendit, potest extrinsecus impediri, quominus exequatur. Datur igitur inter hæc omnia mutua separabilitas intenta.

Art. 3. Altera pars, nimirum quolibet eorum deficiente, de quibus est quæstio, & quæ modò inter se collata sunt, deficere eo ipso sacramentum, tamen si adsint omnia, & quælibet alia, vix indiget probatione. Nam quoad intentionem ministri simul cum materia, & forma, est clara ea de re definitio Eugenia in Concilio Florentino, quæ proposita est q. 3. De exteriori eiusdem actione; id ipsum est manifestum ex quæst. 1. vbi dictum est sacramentum esse signum pro hominibus institutum, atque homini ab homine exhibitum.

hibitum; quod verificari non potest seclusa actione exteriori ministri; per quam videlicet exhibetur signum. Omnium denique manifestissimum est sacramentum subsistere non posse seclusa institutione diuina. Quia res materiales non possunt habere vim illariam gratiæ propriam sacramenti, nisi dependenter à voluntate diuina eam illis communicante; quæ voluntas dicitur institutio sacramenti. Ex his igitur omnibus concluditur, institutionem diuinam, intentionem, & actionem exequutiuam ministri pertinere ad intrinsecam constitutionem sacramentorum, non minus quam materiam eorundem, & formam.

Art. 4. De intentione enim ex gr. formatur hic syllogismus. Id, quo posito à parte rei simul cum quibusdam aliis, eo ipso ponitur à parte rei aliquod concretum, idemque deficit eodem deficiente, tametsi ponantur à parte rei omnia, & quælibet alia, pertinet ad constitutionem intrinsecam talis concreti; sed posita à parte rei intentione debita ministri, simul cum cæteris requisitis, eo ipso ponitur à parte rei hoc concretum, quod est sacramentum; idemque deficit deficiente ea intentione, tametsi omnia, & quælibet alia ponantur à parte rei. Ergo intentio debita ministri pertinet ad constitutionem intrinsecam huius concreti, quod est sacramentum. Vel sic: Vnumquodque necesse est existere existentibus omnibus, per quæ ipsum intrinsecè constituitur, nec potest deficere quin deficiat aliquid eorum, per quæ intrinsecè constituitur. Sed sacramentum non necesse est existere existentibus omnibus aliis distinctis ab intentione ministri, idemque deficit si deficiat eadem intentio, tametsi nihil deficiat aliud. Ergo nulla alia distincta ab intentione ministri sunt omnia, per quæ sacramentum intrinsecè constituitur, eademque intentio est aliquid eorum, per quæ sacramentum intrinsecè constituitur. Constat de vtriusque maiori ex priori parte præcedentis discursus; ex posteriori verò constat de vtriusque minori, nec non de suppositione separabilitatis inter intentionem, & reliqua ad sacramentum requisita. Eadem autem est ratio, ut patet, de institutione, & exteriori exequutione. Ergo tria hæc constituunt intrinsecè sacramentum tanquam partes essentielles ipsius.

Art. 5. Confirmatur quoad institutionem. Sacramentum est signum ad placitum. Sed signum ad placitum constituitur intrinsecè in ratione signi per voluntatem instituentis. Ergo sacramentum constituitur intrinsecè in ratione talis per voluntatē instituentis. Rursus sacramentum est causa instrumentalis gratiæ proximè potens ad illam inducendam, quantum est ex parte causæ. Sed causa instrumentalis in ratione proximè potens ad inducendum suum effectum constituitur intrinsecè per applicationem agentis principalis; atque agens principale gratiæ est Deus, qui applicat se, & suum instrumentum per suam voluntatem, qua instituit sacramentum. Ergo. Confirmatur idem quoad intentionem ministri: Deus distribuit dona gratiæ per sacramentum mediante ministerio, & dispensatione eorum, à quibus illa perficiuntur, ac conferuntur iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. 1. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Voluntas autem, & intentio Ministri, ac dispensatoris constituit intrinsecè donationem absolutam rerum distribuendarum respectu talis, vel talis personæ determinatæ; ut patet in elemosyna, & distributione pecuniarum commissa famulo per dominum, permixta eidem electione, ac determinatione personarum, & tali determinatè quantitate pro singulis. Rursus sacramentum matrimonij, est indiuisum verus, & realis contractus. Contractus autem verus, & realis intrinsecè constituitur per vo-

luntates, ac intentiones contrahentium; atque ipsi contrahentes sunt simul ministri eius sacramenti per eandem voluntatem, ac intentionem, qua validè contrahunt. Est verò eadem ratio de reliquis sacramentis suo modo; certè sunt eadem pro omnibus difficultates, ut liquet consideranti rationes dubitandi. Confirmatur denique quoad actionem exteriorem, qua proferuntur verba, vel applicatur materia; quia sacramentum est signum quo eius minister sensibiliter confert gratiam luscipientibus sacramentum; ac proinde prolatione verborum, & applicatione materiæ dicit, seu innuit, ac significat se conferre gratiam per ea verba, & per materiam, quam applicat, siquidem sacramentum est signum pro hominibus institutum, seu homini ab homine exhibitum. Neutrum autem horum subsistere potest absque actione exteriori ministri; quæ videlicet includitur in conceptu essentiali loquutionis, & significationis cuiuscunque, quatenus denominantis loquentem, ac significantem talem vel talem determinatè personam.

Art. 6. Ex istis confirmationibus apparet tria hæc, de quibus disputatur, dicenda esse requisita ad existentiam sacramenti immediatè & ratione sui tanquam partes intrinsecè constitutas ipsius; tametsi essent essentialiter inter se connexa, siue mutuo, siue non mutuo, atque intentio ministri essentialiter præsupponeret institutionem diuinam; aut vtriusque similiter præsupponeret actio exequutiuæ exterior (quorum neutrum est improbabile); ac proinde institutio diuina, vel intentio ministri, vel vtriusque requirerentur ad existentiam sacramenti etiam ratione alterius. Nempè probationes adhibitæ in confirmationibus concludunt independentè à connexionē, & carentia connexionis, seu separabilitate mutua, vel non mutua illorum trium inter se, & à cæteris, vtriusque ad existentiam sacramenti requisitis. Neque verò repugnat requiri aliquid ad existentiam alicuius concreti, tum immediatè, & ratione sui tanquam partem essentialē illius; tum etiam mediatè, & ratione alterius, tanquam causam effectiuam alterius partis; vel aliqua alia ratione essentialiter præsuppositum ab alia parte intrinseca eiusdem concreti, ut apparet in verbo Diuino comparato cum hoc homine Christo.

Ad 1. Obiectum directè volitum à ministro perficiente sacramentum, per intentionem, qua illud perficit, non est ipsum sacramentum secundum suum conceptum adæquatum, sed sensibilis collatio gratiæ per talia verba ab ipso prolata circa talem materiam. Similiter actio exterior eiusdem ministri non respicit in genere causæ efficientis sacramentum formaliter, ut tale, sed verba ex quibus partialiter constat, vel materiam, aut aliquod eius accidens, ex quibus itidem constat intrinsecè sacramentum. Eodem modo institutio diuina, seu voluntas Dei, qua sacramentum instituitur, directè solum vult, ut conferatur gratia, quoties talia verba circa talem materiam cum talibus determinatè requisitis prolata fuerint. Sed institutio Dei, intentio Ministri, & actio exterior, volendo directè, & formaliter, aut producendo ea obiecta, eorum effectus distinctos à se realiter adæquatè, volunt eo ipso, & producant in genere exercito, atque constituent formaliter sacramentum distinctum ab ipsis tantum inadæquatè. Exempla actuum, & actionum volentium, ac producentium directè aliquid ab ipsis adæquatè distinctum, atque eo ipso constituentium formaliter aliquod totum ab eisdem, tum distinctum tantum inadæquatè, tum volitum, ac productum in actu exercito, vel reflexè, seu quasi reflexè sunt obuia in quolibet contractu, in quolibet opere meritorio, & similibus.

Ad 2. Intentio Ministri non constituit intrinsecè sacramen-

sacramentum tamquam virtus eius, & ratio agendi, seu instrumentaliter, seu principaliter; sed solum, ut quod tanquam pura applicatio, & determinatio, ut voluntas, & potentia diuina, per hæc determinatè verba, & per hanc determinatam materiam huic determinatæ personæ potius, quam per alia, & alij, gratiam conferant. Non autem repugnat determinationem, & puram applicationem causæ bonæ, & ad effectum bonum esse malum, volente Deo prævalere malitiæ ministri, eaque non obstante peruenire ad finem intentum bonum. Unde sacramentum est opus Dei, & supernaturale secundum virtutem causatiuum gratiæ, & non verò secundum conditionem, & applicationem se habentem, ut quo ad talem virtutem determinandam. Item secundum eandem virtutem est honestè desiderabile à fuscipiente, & materia gratiarum actionis; non verò est tale secundum quamlibet conditionem se habentem, ut quoad virtutem determinandam; sicut est appetibilis elemosyna pauperi exhibita à vanè glorioso, & pro ea gratias agere debet. Testimonium Augustini diu me torset, præsertim expenso toto contextu, donec ex alio loco in eodem libro propè finem apparuit euidencia solutionis: Dicit enim quod munuscula tradita scelestis, & à scelestis sunt dona Dei; sicut dixerat, quod sacramentum est sanctum, licet confectum ab improbo. Loquitur ergo in primo loco de eo solum, quod est præcipuum in sacramento, seu de virtute actiua gratiæ; sicut in secundo loco quando dixit munuscula tradita scelestis à scelestis esse dona Dei, loquitur de substantia donorum, præscindendo à mala voluntate tradentium, & accipientium; quæ tamen voluntas dantis in ratione doni, & donationis essentialiter includitur.

Ad 3. Collectio eorum effectuum creatorum connectitur quidem essentialiter cum voluntate diuina institutiua sacramenti, sed solum tanquam manifestatiua talis voluntatis; reddens ipsam fide credibilem, non verò connectitur tanquam virtus, aut pars virtutis constituens formaliter, aut effectiue vim actiuam gratiæ, qua constituitur principaliter sacramentum. Unde, seclusa collectione talium signorum, debet in sacramento includi sola institutio diuina à qua sacramentum habet, ut sit effectiuum gratiæ.

Ad 4. Sicut ex supradictis patet, actio exterior non variatur ex varietate finium, aut intentionis agentis, sed solum ex diuersitate causæ efficientis, à qua immediatè profuit; & ex diuersitate termini, quem immediatè efficit, ut quo. Ergo cum sit eadem actio exterior, siue procedat ab ea voluntate ministri, siue non; & consequenter siue per eam perficiatur sacramentum, siue non: patet per talem actionem non constitui intrinsicè sacramentum sufficienter, & adæquatè.

Ad 5. Respondetur dupliciter. Primò sufficere, quod in sacramento ordinis intrinsicè includatur character vtriusque personæ, tum illius quæ ordinem confert, tum alterius, quæ recipit, quia solus character essentialiter præsupponit omnia ea, quæ ad ipsum præexiguntur, totanque seriem, quæ in argumento opponitur. Secundò dari inordinante actionem effectiuam ordinis, quæ essentialiter ipsum characterem supponit. Unde licet in sacramento ordinis non includeretur intrinsicè character, adhuc sufficeret includi in ipso talem actum, à quo character essentialiter præsupponitur. Determinatio porro huius disinctionis dabitur infra opportunè in loco proprio.

Ad 6. Anteriores Theologi, quos referunt, & sequuntur Suarez, & Vasquez, quando excludunt à constitutiua sacramenti intentionem ministri, loquuntur de constitutiua præcipuo, quod se habet per

modum virtutis actiue, non verò intendunt agere de constitutiua sacramenti adæquatè sumpto. In eodem sensu loquuntur Suarez ipsè, & Vasquez dum antiquorum opinioni subscribunt. Cuius iudicium, est, tam istos duos auctores, quam citatos ab ipsis supponere potius hoc, tanquam primum principium quam docere tanquam sententiam peculiarem, intentione ministri non constitui sacramentum. Quod fieri non potuisset circa sacramentum adæquatè, & secundum omnem rationem consideratum.

Q V A E S T I O VII.

Vtrum sacramentum constituatur formaliter per ens rationis?

Videtur constitui; Quia sacramentum constituitur formaliter per denominationem à forma extrinsecâ, qualis est institutio diuina. Sed talis denominatio est ens rationis, quia non est aliquid existens, neque in forma denominante, neque in obiecto denominato; hoc est neque in institutione diuina, neque in sacramento instituto. Ergo sacramentum constituitur per ens rationis.

Sed contra est; quia manifestè patet ex diuina reuelatione, quod sacramentum est aliquid ens reale. Item patet hoc ex eo, quod est realiter causatiuum gratiæ. Sed illud quod est ens reale non constituitur formaliter per ens rationis. Ergo sacramentum non constituitur formaliter per ens rationis.

Art. 1. Respondetur. Ens rationis potest accipi tripliciter. Primo pro actu intellectus, quia cum intellectus dicatur ratio à ratiocinando; actus intellectus dicitur actus, seu ens rationis. Secundo pro obiecto, ut apprehensio opposito modo ab eo, quo realiter in seipso existit. Sic priuatio dicitur communiter ens rationis, quia apprehenditur per modum entis, cum nihil sit. Sic etiam per Philosophum, & D. Thomam, relatio scibilis ad scientiam dicitur relatio rationis, quia concipitur tanquam aliquid in scibili, cum verè in ipso nihil sit, sed scibile dicatur referri ad scientiam propter extrinsecam denominationem scientiæ, quæ refertur ad ipsum. Tercio pro obiecto non solum apprehenso, sed vterius etiam affirmato, opposito modo ab eo, quo est; sicut si dicitur homo est rugibilis, per quem actum non solum apprehenditur rugibilitas, ut in homine, sed affirmatur, & componitur cum homine.

Art. 2. Sacramentum non est ens rationis primo modo, quia non est actus intellectus, sed quid partim physicum, partim morale extra intellectum existens. Nec est ens rationis tertio modo acceptum, quasi quid fictum per intellectus compositionem, aut diuisionem, ut patet efficaciter per rationem inductam in argumento, sed contra. Quia scilicet est ens reale, gratiæ causatiuum. Solum igitur sacramentum constituitur per ens rationis secundo modo acceptum, ut rectè probat prima ratio inducta. Quia scilicet denominatur extrinsecè ab institutione diuina. Hæc autem denominatio concipitur à nobis per modum alicuius inhaerentis ipsi sacramento; sicut, dum dicitur paries visus, aut obiectum scibile, concipitur per modum recipientium in se aliquid, à quo acquirant denominationes scibilis, & visi.

Art. 3. Hic modus apprehensionis fuit fundamentum Scoto ad ponendum in rebus quoddam esse diminutum æternum in rebus fluens à cognitione, & volitione diuina à qua res creata denominantur ab æterno in esse cogniti, & voliti à Deo. Quod esse diminutum à Scoto, & eius schola vocatur ens rationis;